

ille regnat articulus, scil. fides Christi, ex quo, per quem, & in quem omnes meæ noctu dieque fluunt cogitationes Theologicae.

2. Etymologia ejus est à justitia & facere. justitia autem dicitur à justus: Justus à jus: Jus verò à jubendo: quicquid enim Magistratus & Leges jubent, hoc jus est, & qui obtemperat, justus justitiaeque præditus censetur.

3. Synonymum est Salvatio, utpote quæ iisdem cum justificatione, quæ justificatione, causis constat, unde & in sacris sæpe cum ea permutatur, *Heb. 13, 11.*, *2. Tim. 1, 9.* *Tit. 3, 5.*

4. Nequaquam verò Renovatio seu Sanctificatio hoc censu habenda, quanquam Augustinus & alii Patres, cum Pelagianos refellunt, hanc cum illa confundunt, quod est contra *Bellarminum. L. 2. de just. c. 6.* Quomodo verò differant, vide sis in quæstionibus infra.

5. Homonymia est, quòd notet 1. STATUM novæ obedientiæ, sive justitiæ incrementum, *Ap. 22, 11.* 2. Declarationem fidei coram mundo: *Jacob. 2, 18.* 3. Declarationem Majestatis *1. Timoth. 3, 16.* & *Psal. 51, 6.* 4. Discrimen inter bonum & malum, quomodo ait Absolon, *2. Samuel. 15, 4.* Ego justificarem illum. 5. Alios instituere, *Dan. 12, 6.* Liberari, *Rom. 6, 7.* Qui mortuus est, justificatus est à peccato. 7. Principaliter absolutionem ab objecto crimine & peccatis, pro justo pronunciationem & in gratiam acceptionem. Quæ significatio est huic loco conveniens, & complectitur tria: accusatum, absolvere: pro justo censere: præmiis afficere; unde non ἐκλυῶς sed παρὴλυῶς accipitur.

6. Probat hęc acceptio contra *Bellarminum. L. 1. de justif. c. 1.* & alios Hæreticos, Arminianos, Weigelianos, Svenckfeldianos, Anabaptistas, Socinianos &c. 1. Verbum justificare notat actum judiciale, non solum extra doctrinam justificationis gratuitæ, sed & in ipso justificationis articulo, *Job. 9, 2.* *Esa. 11, 23.* Nec potest ullus produci Scripturæ locus saltem, qui de justificatione nostra agit, in quo hęc vocula dictam significationem non obtineat. 2. Quia opponitur condemnationi, idq; itidem non solum extra doctrinam justificationis gratuitæ coram Deo, sed etiam in ipso justificationis articulo, *Rom. 8. v. 33.* 3. Exempla eorum, qui unquam justificati sunt, indubitata fide conciliant huic assertioni: videlicet Abrahami, *Rom. 4, 23.* Mariæ Magdalena, *Luc. 7, 39. seqq.* Publicani, *Luc. 18, 15. seqq.* Latro-

Latro-